XENOPHONTIS VITAE

SPECIMEN.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS BOLDT

MARCHICUS.

POSNANIAE.

FORMIS MERZBACHII.

1885.

Pauca de vita scriptorum antiquorum ad nostram memoriam pervenerunt, quum plerique ea essent modestia, ut de vita sua quam minima libris suis insererent; itaque factum est, ut iam Aristoteli eiusque discipulis, quum prima historiae litterarum Graecarum initia ponerent, praesidia pauca adessent; eaque documenta, quae extabant, maximam partem ad poetas pertinebant, quorum fabulas, quo tempore editae essent, definire licuit; at in rerum scriptoribus fere omnia desiderabantur praeter ea, quae ex illorum scriptis colligi poterant.

Quae inopia rerum argumentis confirmatarum quum tanta esset, posteri, ut vitas virorum de artibus liberalibus litterisque optime meritorum augerent atque exornarent, fabulas multas excogitaverunt; quibus ne nimis fretus in errorem inducaris, maxime cavendum est.

Itaque etsi merito dolemus maximam partem librorum temporibus posterioribus conscriptorum de poetis aut philosophis aut oratoribus intercidisse, tamen non est, cur nimis queramur, quum opera Xenophontis, cuius vitae partem paucis tractabimus, aetatem nostram tulerint neque iudicium nostrum ab opinionibus veterum pendeat.

Atque omnia opera Xenophontis, quantum scimus, nobis servata sunt, quum ratio veterum, qui plus quadraginta libros Xenophontis esse tradiderunt, a ratione nostra Xenophontis opera in libros dividendi diversa fuisse videatur; nam a scriptoribus tantum ea scripta Xenophontis afferuntur, quae adhuc extant; neque Suidas huic opinioni adversatur, qui Xenophontem primum vitas philosophorum composuisse suspicatus est, sed Diogenis Laerti verbis:

ἀλλὰ καὶ ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραφε

deceptus est verba *ἱστορίαν φιλοσόφων* inepte coniungens, quum Diogenes nihil aliud dixerit, nisi Xenophontem primum e philosophis libros ad historiam pertinentes composuisse.

Quodsi in Xenophontis vita enarranda scripta eius, imprimis Anabasin, secuti erimus, ea, quae de vita eius accurate demonstrari poterunt, multo melius intellegi posse spero quam ex vita a Diogene conscripta, qui ea, quae Aristippi, Hermippi, Diocles, Istri, Stesiclides, Demetrii aut perpetua narratione aut per occasionem de Xenophonte tradiderant, parum acute et indiligenter contulit.

Sed antequam ad vitam Xenophontis enarrandam aggrediar, pauca praemittenda sunt; quaestionem quidem, qua demonstratur Xenophontem Anabaseos auctorem fuisse omittere licet, postquam Kruegerus[1]) summo ingenii acumine et insigni sollertia de authentia et integritate Anabaseos Xenophonteae ita disseruit, ut primum locos omnes Anabaseos perlustraret, qui Xenophontem auctorem Anabaseos non esse demonstrare viderentur, tum argumenta opponeret, quae Anabasin a Xenophonte scriptam esse ostenderent; at de Hellenicorum loco[2]) saepissime in disputationem vocato dicendum videtur, quum ea, quae Kruegerus et alii Plutarchi opinionem secuti de Themistogene exposuerunt, probari non possint.

Quum Xenophon ipse loco modo dicto Themistogenem Syracusanum Anabaseos auctorem nominaverit:

ὡς ὁ μὲν Κῦρος στράτευμά τε συνέλεξε καὶ τοῦτ' ἔχων ἀνέβη ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν καὶ ὡς ἡ μάχη ἐγένετο καὶ ὡς ἀπέθανε καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀπεσώθησαν οἱ Ἕλληνες ἐπὶ θάλατταν Θεμιστογένει τῷ Συρακουσίῳ γέγραπται

et quum Suidas[3]) dixerit Themistogenem Syracusanum et expeditionem Cyri et alios libros de patria sua scripsisse:

Θεμιστογένης ὁ Συρακούσιος ἱστορικὸς Κύρου ἀνάβασιν, ἥτις ἐν τοῖς Ξενοφῶντος Ἑλληνικοῖς φέρεται, καὶ ἄλλα τινὰ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος ἔγραφεν alii Themistogenem in historicorum numero ponendum esse censuerunt, alii Plutarcho freti, qui dixit Xenophontem latere voluisse lectores et nomen Themistogenis libro suo praeposuisse, quo sibi res a se ipso gestas enarranti maiorem fidem pararet.

Ξενοφῶν αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία γράψας ἃ ἐστρατήγησε καὶ κατώρθωσε καὶ Θεμιστογένη λέγει περὶ τούτων συντετάχθαι τὸν

---

[1]) Analectt. critt. partt. III. Berolini 1874.

[2]) Hellen. III. 1. 2.

[3]) Vol. II. p. 171. ed. Bernhardyus.

Συρακούσιον ἵνα πιστότερος ᾖ διηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἑτέρῳ τὴν τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος.

Themistogenem omnino ex historicorum numero eximendum censuerunt.

Plutarchi opinionem probat Jacobsius[1]) libello, qui inscribitur „Xenophon oder Themistogenes?“ atque Xenophontem Anabasi nomen suum praescripsisse negat, quia hoc libro criminationes ab adversariis ei illatas refellere studeat.

Aliis causis commotus Kuehnerus[2]) Plutarcho assentitur; quum verba Suidae *ἥτις ἐν τοῖς Ξενοφῶντος φέρεται* iusto obscurius dicta sint, neque codices verbum *Ἑλληνικοῖς* Kuestero auctore agnoscant, vix dubitari posse, quin tota Suidae de Themistogene, Anabaseos auctore, notitia ducta sit ex illo ipsius Xenophontis Hellenicorum loco, quamquam mirum sit, quod ibidem idem Themistogenes alios quoque de patria sua libros edidisse perhibeatur. Equidem Suidam totam de Themistogene notitiam ex illo Xenophontis loco duxisse libenter concederem, si verba *καὶ ἄλλα τινὰ ἔγραφε περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος* deessent, sed ea falso in suspicionem vocata neque a Suida ficta esse mihi probabile videtur.

Nam. An. I. 2. 9. Sosis Syracusanus nominatur, qui cum trecentis militibus gravis armaturae ad Cyrum venit, quorum partem Syracusanos fuisse conicere licet.

Alio loco (An I. 10. 4.) Lycii Syracusani mentio fit. Itaque Themistogenes aut ea, quae ab aliis de expeditione Cyri acceperat, exposuit, aut, quod verisimilius videtur, ipse expeditioni interfuit, quum totam descriptionem testem oculatum prodere manifestum sit, quamquam nonnulla minus accurate explicantur; neque hanc opinionem refutari credo, quod opus Themistogenis iam Plutarchi aetate interciderit, quem illum Hellenicorum locum, quo offendebatur, sua coniectura expedire voluisse pro certo habeo.

Neque Dindorfium sequor monentem, etiam poetas comicos nonnullarum fabularum suarum gloriam aliis concessisse, quum poetarum comicorum ratio plane diversa fuerit a Xenophontis ratione, neque exemplum imperatoris Hadriani a Kruegero allatum valere puto; nam illi timendum non erat, ne ab omnibus statim auctor agnosceretur; at dubium non est, quin Xenophon ista fraude

---

1) Opusc vol. VI. p. 54 80.

2) Anab. pag. 23 sq.

fidem suam apud omnes libri lectores in maximam suspicionem vocaturus fuerit. Quam ob rem Themistogenem in historicorum numero ponendum esse neque opinionem meam eo refutari puto, quod Leutschius [1]) demonstrare studuit, Xenophontem libros Hellenicorum quattuor priores edidisse nomine Cratippi sumpto eademque, qua in Anabasi edenda, ratione usum esse, ut nomen suum lectores celaret. Primum, ut concedamus Xenophontem, quum Anabasi res a se gestas celebraverit seque a criminationibus adversariorum defendere voluerit, nomen suum reticuisse, tamen non est, cur credamus illi exuli in mentem venisse, ut res a Graecis gestas alieno nomine sumpto ederet.

Tum ea, quae Dionys. Hal. [2]) dicit: *καὶ (Κράτιππος) τὰ παραλειφθέντα ὑπ' αὐτοῦ (Θουκυδίδου) συναγαγὼν γέγραφε* Leutschius non recte interpretatus esse videtur; nam verba non significant, Cratippum Thucydidis historiam relictam edidisse sed eum in iis enarrandis, quae Thucydides imperfecta reliquerit, versatum esse. Denique non perspicitur, cur Xenophon in Hellenicis edendis alio nomine, alio in edenda Anabasi usus sit, suum nomen reliquis scriptis praescripserit.

Sed alia relinquitur difficultas aegre expedienda; nam Suidae loco commoti fuerunt, qui de Xenophonte Anabaseos auctore dubitarent, et crederent, opus illud Themistogeni tributum ab eo, quod hodie nomine Xenophontis praescripto circumferretur, diversum non esse.

Quibus adversatus Morus opinatus est, Xenophontem, quo tempore Hellenicorum liber tertius scriptus esset, commentarios de expeditione Cyri nondum composuisse; itaque verba Xenophontis (Hell. III. 1. 2.) ad aliam, quae intercidisset, Anabasin referenda esse; sed a Xenophonte, quum Themistogenes res a Graecis gestas tantum usque ad ea tempora deduxisset, quibus Graeci ad mare (i. e Pontum Euxinum) pervenissent, eadem, quae iam a Themistogene exposita essent, retractata et tribus aliis libris ea addita esse, quae Themistogenes praeteriisset.

Quam Mori opinionem Kruegerus aspernatus negavit opus Themistogenis brevius fuisse quam Xenophontis excepto libro septimo et Anabasin post Hellenica scriptam esse contendit.

---

[1]) Philolog. vol. XXXIII. p. 97.

[2]) Dionys. Halic. de Thucyd. iud. c. 16.

Iam ea, quae Kruegerus contra Mori opinionem protulerit paucis in discrimen vocabo.

Equidem cum Kruegero sentio Morum erravisse dicentem res a Graecis gestas tantum ad ea tempora a Themistogene deductas esse, quibus ad mare Euxinum pervenerint; neque verba *ὡς ἀπεσώθησαν ἐπὶ θάλατταν* Pontum sed Hellespontum spectant; nullo enim modo de parte reditus effecta *ἀπεσώθησαν* dici potuit quum paulum afuisse constet, quin maior pars exercitus redeuntis a Bithynis deleretur. Neque huic rei adversatur, quod Xenophon alio loco[1]) accuratius dicat

ἡμεῖς βουλόμεθα διασωθῆναι πρὸς τὴν Ἑλλάδα

neque quod Graeci, ubi primum in reditu a summo montis Techae iugo mare conspexerint, quasi omnibus laboribus iam defuncti summum clamorem et gaudium ediderint.

Accedit altera causa, quod Xenophon non ab initio libri tertii Hellenicorum res gestas enarrat, ex quo tempore Graeci Trapezuntem pervenerunt, sed ex quo cum exercitu Thibronis coniuncti sunt, nam si Themistogenes reditui Graecorum enarrando finem imposuisset, postquam Trapezuntem pervenerunt, Xenophonti ea, quae Graeci in reliquo itinere perpessi sunt, donec cum Thibronis copiis coniuncti sunt, illo Hellenicorum loco paucis exponenda erant.

Neque a ceteris, qui de expeditione Cyri et mercenariorum Graecorum reditu scripserunt, narratio ad id tempus deducta est, quo Graeci primum mare conspexerunt, sed quo Chrysopolim pervenerunt; quae res intelligitur ex Diodoro, qui alium auctorem secutus hac re enarrata reditui Graecorum finem imposuit.

Venio nunc ad alterum argumentum, quod Kruegero ad opinionem Mori impugnandam gravissimum videtur; negat enim Anabasin post Hellenica, quae Xenophon post annum 357 absolverit.[2])

καὶ τὰ μὲν Θετταλικά, ὅσα περὶ Ἰάσονα ἐπράχθη καὶ μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον μέχρι τῆς τοῦ Τισιφόνου ἀρχῆς δεδήλωται scriptam esse, quum auctor iam in summa senectute collocatus esset, quia Anabasis senem decrepitum non redoleat. Id quidem per se constat neque ad Kuehnerum confugiendum est, qui monuit, etiam Sophoclem tragoedias non senilem quandam ingenii imbecillitatem

---

[1]) Anab. V. 4. 5.
[2]) Hell. VI. 5. 1.

prodentes sed masculam vim ac iuvenilem vigorem omnibus locis spirantes post octogesimum aetatis annum composuisse.

Attamen Kruegerum errasse contendo, si verbis: „quo tempore haec verba scripta sint“ tota Hellenica intellegi vult.

Multi enim negaverunt Hellenica Xenophontis uno tempore conscripta esse; quorum primus Niebuhrius[1]) suspicatus est, Hellenica operibus duobus ratione et consilio maxime diversis constare; altero historiam imperfectam Thucydidis absolvi, altero res a Graecis gestas usque ad pugnam Mantineensem exponi. Idem alterum opus libros duos priores Hellenicorum continens illo tempore, quod intercedat inter Xenophontis reditum in patriam et proelium navale ad Cnidum anno 394 factum scriptum esse censet. Niebuhrio etsi Kruegerus,[2]) sententiam eius argumentis non contemnendis impugnavit, tamen id, quod ad hanc quaestionem pertinet, concessit probabile esse, Xenophontem libro altero Hellenicorum confecto ad alia scripta animum appulisse.

Sed Kruegerum nulla alia causa commotum suspicatum esse, Xenophontem fortasse libro altero Hellenicorum confecto ad alia scripta animum appulisse, nisi quod eo libro bellum Peloponnesiacum enarratum sit — nam dominationem virorum triginta, qui tyranni vocantur, Athenis captis a Lacedaemoniis constitutorum eorumque tyrannidem exstinctam etiam cum bello Peloponnesiaco cohaerere docet Dionysius Halicarnassensis, qui Thucydidi bellum a Lacedaemoniis cum Atheniensibus gestum enarranti vitio vertit, quod opus suum non usque ad exulum reditum Thrasybulo duce deduxerit — satis apparet.

Quae quum Kruegerus obiter tractaverit, fuerunt, qui contenderent Xenophontem alio loco Hellenica intermisisse. Mitto Letronnium, qui priori parti Hellenicorum post III. 1. 2. finem imponi vult; Delbrueckium, qui coniecit, post Anabasin eo fere tempore confectam, quo bellum Corinthiacum compositum esset (i. e. anno 387) a Xenophonte res Graecorum usque ad hoc tempus expositas esse et res, quae postea gestae essent, per annos singulos additas esse; Lipsium mitto, qui libello de Xenophonte anno 1857 Lucaviae edito suspicatus est libros posteriores tres

---

[1]) Mus. Rhen. 1827. pag. 196—200.

[2]) Stud. hist. et phil. vol. I. p. 249 sq.

[3]) Xenophon. Zur Rettung seiner durch Niebuhr angegriffenen Ehre Bonn 1829.

Xenophonti seni tribuendos esse; quibus multo diligentius et acutius Nitschius [1]) demonstravit, duas partes Hellenicorum esse, quarum alteram libros priores quattuor librique quinti caput primum continentem inter annum 384 et annum 383 scriptam esse. De tempore quidem, quo prior pars Hellenicorum scripta sit, omnes difficultates sublatas esse atque omnino tolli posse diffido, quum loci a Nitschio ad tempus definiendum allati tanti momenti non sint, ut omnis rixa dirimatur, [2]) sed illud probare non dubito priorem partem Hellenicorum post annum 385 scriptam esse et initium libri tertii excurrere.

Satis demonstrasse mihi videor librum illum a Xenophonte Themistogeni tributum plane diversum esse a Xenophontis Anabasi et posteriore tempore aut casu, aut quod propius veritatem accedere videatur, Xenophontis libro splendidissimo ita obscuratum esse, ut nihil praeter hunc unum locum de Themistogenis Anabasi nobis traditum sit.

Etiam alios praeter Xenophontem et Sophaenetum de Cyri expeditione scripsisse probabile est, si reputaverimus, quanti momenti reditus Graecorum fuerit quum ad imbecillitatem regni Persarum nudandam tum ad rationes belli gerendi mutandas.

Sed vereor, ne iam diutius in hac re versatus sim; itaque falsam interpretationem Bornemanni difficultatem omnem tolli censentis, si dativum Θεμιστογένει pro dativo, quem dicunt, commodi posueris, et interpretantis: „haec scripta sunt in usum Themistogenis", quum de amicitia et familiaritate Xenophontis cum Themistogene nihil constet; atque ea, quae alii coniecerunt Xenophontem Themistogeni librum suum edendum tradidisse, vel Themistogenem ea, quae Xenophon commentariis suis congesserit, exposuisse, silentio praeterire licebit.

Jam ad vitam Xenophontis enarrandam aggrediar et primum disseram de tempore, quo Xenophon natus esse videatur.

Quum neque Xenophon ipse neque alius scriptor quicquam de anno, quo natus sit, definierit, tempus eius natale ratione subducta nobis efficiendum est. Summa autem controversia de aetate Xenophontis exorta neque ad hoc tempus composita est

---

1) De Xenophontis Hellenicis. Berol. 1871.

2) cf. ea, quae de hac re indicis philologici. vol. V. p. 139—144 disputata sunt.

atque vereor, ut ex Anabaseos locis, qui ad Xenophontis aetatem pertinent, aut alia ratione Xenophontis annus natalis ad annum certum referri possit; sed eos recte iudicasse existimo, qui Xenophontis Anabasi freti opinionem a vulgari dissentientem de aetate Xenophontis secuti sunt. Illi quidem, qui adversantur atque ea, quae alii scriptores veteres de aetate Xenophontis tradiderunt, potiora ducunt, quam ea, quae ex ipsius Xenophontis verbis patent, eos Anabaseos locos, quibus Mitfordus et alii opinionem suam confirmari crediderunt, nullius momenti ad controversiam tollendam habent.

Age vidamus, quae scriptores veteres de Xenophontis aetate rettulerint ac primum consulamus, si placet, Lucianum[1]) vel rectius Pseudo-Lucianum qui Xenophontem plus nonaginta annos vixisse tradit, quo testimonio tum demum uti poterimus, quum annum, quo Xenophon natus aut mortuus sit, exploraverimus.

Quo tamen auctore confisus Lucianus hunc annorum numerum posuerit, me ignorare fateor; sed si coniectura uti licet, Lucianus ipse illum numerum annorum ratione subducta videtur effecisse; nam ex libris Xenophontis, post quem annum mortuus sit atque ex Strabone, ante quem annum Xenophon natus sit, facile colligi potuit.

Strabo[2]) enim narrat:

Δήλιον τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐκ Δήλου ἀφιδρυμένον Ταναγραίων πολίχνιον Αὐλίδος διέχον σταδίους τριάκοντα, ὅπου μάχῃ λειφθέντες Ἀθηναῖοι προτροπάδην ἔφυγον· ἐν δὲ τῇ φυγῇ πεσόντα ἀφ' ἵππου Ξενοφῶντα ἰδὼν κεί μενον τὸν Γρύλλου Σωκράτης ὁ φιλόσοφος στρατεύων πεζὸς τοῦ ἵππου γεγονότος ἐκποδὼν ἀνέλαβε τοῖς ὤμοις αὐτὸν καὶ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους, ἕως ἐπαύσατο ἡ φυγή.

Eadem Diogenes Laertius[3]) breviter exponit: *Ξενοφῶντα ἀφ' ἵππου πεσόντα ἐν τῇ κατὰ Δήλιον μάχῃ διέσωσεν ὑπολαβών.*

Quum Atheniensium mos esset, ut adolescentes postquam per biennium praesidii causa in castellis versati sunt, a vicesimo demum anno ad externa bella mitterentur, Xenophon, si proelio Deliensi, quod anno exeunte 424 factum est, interfuit, post annum 444 natus non est. Hac ratione Lucianum aetatem Xenophontis

---

[1]) *Μακροβ.* § 21.

[2]) lib. IX. c. 27 (ed. Meinekius).

[3]) II. 22. vit. Socrat.

definivisse verisimile est; itaque testimonium eius per se nullum esse et tamdiu valere credo, quamdiu res, quibus effectum sit, valuerint.

Venio nunc ad Diogenem Laertium, et quid de aetate Xenophontis scripserit, paucis explicabo.

Καὶ, inquit § 14 vitae Xenophontis, *ὁ μὲν βίος αὐτῷ τοιόςδε. ἤκμαζε δὲ κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος* (a. 401) *καὶ ἀναβέβηκε σὺν Κύρῳ ἐπὶ ἄρχοντος Ξεναινέτου ἑνὶ πρότερον ἔτει τῆς Σωκράτους τελευτῆς. κατέστρεψε δὲ καθά φησι Στησικλείδης ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιμήδους, ἐφ' οὗ καὶ Φίλιππος ὁ Ἀμύντου Μακεδόνων ἦρξε.*

Nonnulli, ut Langius (Anab. edit. pag. IX) in errorem inducti sunt, quum Diogenem auctorem secuti Xenophontem primo anno Olympiadis centesimae quintae (a. 360) mortuum esse crederent; nam ex scriptis Xenophontis satis constat eum etiam post annum 360 in operibus scribendis versatum esse. Diogenes igitur aut testimonium nullius pretii attulit, aut, quod in illo homine parum accurate res tractante mirum non est, verba Stesiclidis male intellexit, qui de anno videtur rettulisse, usque ad quem Xenophon historiam Graecam deduxerit; Diogenes tamen ad verbum *κατέστρεψε* supplevit *τὸν βίον* non *τὴν ἱστορίαν*, quod utrumque suppleri posse Diodorus[1]) docet.

Alio loco (§ 15) apud Diogenem legitur. *εὗρον δ' ἀλλαχόθι ἀκμάσαι αὐτὸν περὶ τὴν ἐνάτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα σὺν τοῖς ἄλλοις Σωκρατικοῖς.*

Hunc locum pugnare cum verbis modo dictis *ἤκμαζε δὲ κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος* facile intellegitur neque quemquam fugit iam antiquis temporibus duplicem fuisse rationem aetatis Xenophontis definiendae, quarum altera annum 401, altera annum 424 spectabat.

Attamen ea, quae Strabo et Diogenes de proelio Deliensi narraverunt, valde suspecta videntur esse.

Kruegerus dicit, iis adversari auctorem non contemnendum Plutarchum[2]) referentem illo proelio Alcibiadem a Socrate serva-

---

[1]) cf. II. 33. XIV. 46.

[2]) Vit. Alcibiad. cap. VII.

tum esse; sed Plutarchi locum neglegenter inspexit, qui eadem refert, quae Plato[1]) exposuit Alcibiadem pugna ad Potidaeam facta vulneratum a et Socrate servatum esse; pugna autem Deliensi, quum Athenienses iam in fugam sese coniecissent Alcibiadem equo vectum Socrati et Lacheti obviam factum eosque cohortatum esse, ut bono animo essent; se illis non defuturum. Neque cum iis consentio, qui Socratem post Alcibiadis discessum Xenophonti auxilio venisse contendunt; nam ex Platone patet, Alcibiadem tum demum discessisse, quum Socrates ab impetu hostium persequentium tutus esset.

Etiam alia causa moveor, ut Kruegerum vituperandum esse censeam: „Xenophon, inquit Kruegerus, si ista narratio (de pugna Deliensi) vera sit, non post Olymp. 84. 1. (a 444) natus esse potest. Eodem igitur anno suam sibi Musam genuerit Attica, quo ex ea Ionicarum vates Musarum cum Lysia Atticarum venerum antistite futuro in Magnam Graeciam emigravit."

Si quis post annum certum natus esse non potest, qua ratione eum illo ipso anno natum esse dicitur? Nullis igitur argumentis Kruegerus terminum, ante quem Xenophon natus est, in ipsum eius annum natalem mutavit, nam reliqua quaestione abutitur ad opiniones Beckeri et Mitfordi de aetate Xenophontis refellendas et tantum in calce quaestionis verbis: ex his igitur apparet . . . . hunc circa annum 444 a. Ch. natum fuisse evicisse videamur" sententiam suam iterat.

Haec satis esse videntur ad annum 444 a. Ch. Xenophontis natalem, quem plurimi Kruegero auctore probaverunt, tollendum iisque, qui Strabonem testem in aetate Xenophontis definienda secuti erunt, incerto spatio temporis acquiescendum erit.

Gravioribus argumentis Vaterus,[2]) Cobetus[3]) Nitschius libello iam supra dicto hanc narrationem refutaverunt, neque illos viros sequi dubito.

Nam Xenophon ipse nullo loco se Socrati salutem suam debuisse rettulit; quamquam ei occosio huius rei commemorandae

[1]) Symp. c. 36.
[2]) Iahnii Ann. IX. p. 89. sq.
[3]) Novarum lectionum pag. 534—546.
Idem indicium de proelio Deliensi Grotius (hist. Graec. vol. IX et Cronius (adnot. ad Plat. Apol. c. XVII) tulerant.

peropportune oblata est Memorabilium libro altero,[1]) ubi Socratem stipendia meritum laudat eumque de proelio Deliensi dicentem facit, tamen salutem Socrati debitam plane silentio praetermittit. Qua in re si Xenophontis silentio offendimur, etiam illud gravius est, quod apud Platonem[2]) Alcibiades Socratis fortitudinem et animi constantiam hac pugna probatam summis laudibus effert, sed huius rei, qua Socratis virtus maxime illustrari poterat, mentionem non facit. Ἔτι τοίνυν, ὦ ἄνδρες, ἄξιον ἦν θεάσασθαι Σωκράτη ὅτε ἀπὸ Δηλίου φυγῇ ἀνεχώρει τὸ στρατόπεδον, ἔτυχον γὰρ παραγενόμενος ἵππον ἔχων, οὗτος δὲ ὅπλα, ἀνεχώρει οὖν ἐσκεδασμένων ἤδη τῶν ἀνθρώπων οὗτός τε ἅμα καὶ Λάχης καὶ ἐγὼ περιτυγχάνω καὶ ἰδὼν εὐθὺς παρακελεύομαί τε αὐτοῖν θαρρεῖν καὶ ἔλεγον ὅτι οὐκ ἀπολείψω αὐτώ. ἐνταῦθα δὴ καὶ κάλλιον ἐθεασάμην Σωκράτη ἢ ἐν Ποτιδείᾳ αὐτὸς γὰρ ἧττον ἐν φόβῳ ἦ διὰ τὸ ἐφ' ἵππου εἶναι. πρῶτον μὲν ὅσον Λάχητος τῷ ἔμφρων εἶναι. ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει ὦ Ἀριστόφανες τὸ σὸν δὴ τοῦτο καὶ ἐκεῖ διαπορεύσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε βρενθούμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων, ἠρέμα παρασκοπῶν καὶ τοὺς φίλους καί τοὺς πολεμίους δῆλος ὢν παντὶ καὶ πάνυ πόρρωθεν ὅτι, εἴ τις ἅψεται τούτου τοῦ ἀνδρὸς μάλα ἐρρωμένως ἀμυνεῖται. διὸ καὶ ἀσφαλῶς ἀπῄει καὶ οὗτος καὶ ὁ ἑταῖρος.

Idem narrat Plato alio loco[3]) ἐν γὰρ τῇ ἀπὸ Δηλίου φυγῇ μετ' ἐμοῦ συνανεχώρει.

Idem narrat Cicero[4]) de fuga Socratis cum Lachete, sed perverse Lachetem pro Hippocrate ducem Atheniensium dicit.

Etiam ex Apologia patet Socratem pugnis ad Poti daeam Amphipolim, Delium factis interfuisse. Etsi hoc loco descriptione temporum a Platone non servata offendimur, quum Potidaeenses anno 432 ab Atheniensibus defecisse et per biennium obsidione terra marique cinctos in deditionem receptos esse, pugnam ad Amphipolim tertio anno post pugnam Deliensem factam esse inter omnes satis constet, tamen non est, cur hoc ordine commoti suspicemur aliam pugnam ad Delium posteriore tempore factam a Platone intellegi.

Certe omnes Athenienses mentione pugnae Deliensis facta proelium illud atrocissimum intellexerunt, quo mille militibus gravis

---

[1]) Memor. II. 1. in.

[2]) Sympos. c. 36.

[3]) Plat. Lach. p. 181 B.

[4]) Cic. de divin. I. 54.

armaturae caesis ingentique sociorum numero Athenienses clade turpi in fugam conversi sunt neque dubium est, quin idem proelium anno 424 factum a Strabone intelligatur.

Neque Athenaeo obtrectatori cupidissimo Platonis Socratem omnino stipendia meruisse neganti fidem habeo; illi enim sperare non licuit, fore ut his fabulis fictis aequales sui deciperentur. Plutarchum cum Platone de militia Socratis consentire iam supra dixi.

Quae quum ita sint — nimis enim verba Alcibiadis equo merentis forte se Socrati obviam factum esse premere nolo — neque Diogeni confido, qui multas fabulas manifesto commenticias et plane absurdas conquisivit, neque Straboni non anxie testium fidem ponderare solito, si quid suaviter et iucunde narrare potuit.

Quorum virorum narratione refutata omnis causa sublata videtur, cur Xenophontem ante annum 444 natum esse ponamus.

Restat, ut paucis verba Diogenis:

ἤκμαζε δὲ κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος attingam. His verbis demonstrari puto, iam aetate grammaticorum Alexandrinorum annum Xenophontis natalem in certum annum referri non potuisse; nam nisi omnia me fallunt, quamquam nomen auctoris praetermisit, Diogenes Apollodorum saepissime in rebus ad temporum ordinem describendis allatum hoc quoque loco auctorem sequitur. Perraro enim temporibus posterioribus annus natalis virorum clarorum ex certis documentis intellegi poterant; itaque grammatici ad hanc rationem confugiebant.

Si annus quidem natalis non definiri, sed factum, ex quo matura aetas intellegebatur, in certum annum referri poterat, grammatici in illum annum florem aetatis, quem *ἀκμὴν* vocabant, referebant eique annum aetatis quadragesimum maxime idoneum esse putabant. Atque multa, quae antea pro certis habebantur hac ratione effecta esse patet.[1])

Hac via grammatici Thucydidis anni natalis ignari, quia verba.

Θουκυδίδης Ἀθηναῖος τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων . . . . ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου aetatem maturam prodere videntur, unde postea Pamphila Thucydidem a. 471 natum esse tradidit. Idem Herodoto evenit; nam quum in Magnam

[1]) cf. Diels Mus. Rhen. vol. XXXI. p. 48.

Graeciam emigraverit, ut Thuriorum condendorum (a. 444) particeps fieret, grammatici illo tempore in flore aetatis eum fuisse suspicati annum natalem 484 elegerunt. Eadem quoque ratione grammaticos eo anno, quo Cyrum secutus est, ad Xenophontis aetatem definiendam usos esse verba Diogenis primo loco posita satis docent.

In hac ratione grammatici constitisse videntur, minus cupidi anni natalis cognoscendi, quum familiaritate Xenophontis cum Socrate eiusque cum Cyro minore societate satis certae ansae datae essent, quibus aetatem Xenophontis tenere possent; ii autem, qui de Xenophonte a Socrate proelio Deliensi servato non dubitaverunt, eum ante a. 444 natum esse coniecerunt, sed quominus altius repeterent, prohibebantur, quod Xenophontem post annum 357 mortuum esse Hellenica docent. Alii ex scriptis Xenophontis accuratius aetatem eius constitui posse opinati sunt, sed vereor, ut ex Anabasi effici possit.

Primus Mitfordus compluribus Anabaseos locis demonstrari posse opinatus est, Xenophontem triginta fere annos natum Athenis discessisse, ut Cyrum sequeretur et multis aliis aetas iuvenilis Xenophontis satis superque Anabasi confirmata videtur; sed alii adversantur neque quidquam Anabasin ad iuventutem Xenophontis comprobandam valere contendunt. Qua ex sententiarum varietate apparet, locos illos Anabaseos aut inter se discrepare aut varie explicari posse, ut ad rixam dirimendam non satis valeant; itaque satis habebo, si ratio mea eorum locorum interpretandorum, qui ad aetatem Xenophontis pertinent, haud plane displicuerit.

Atque ut intelligatur, quid interpretes iisdem locis male inter se iunctis coniecerint, exempli gratia afferam duos Anabaseos locos,[1] quibus Delbrueckius[2] commotus est, ut annum Xenophontis natalem in annum 447 referendum esse censeret.

Quum Xenophon V. 3. 1. narraverit, eos, qui iam annum quadragesimum egressi essent, cum mulieribus et liberis et impedimentis, quibus opus non esset, in naves impositos esse, ex hac re Delbrueckius coniecit, vires eorum, qui plus quadraginta annos nati essent, non iam idoneas ad labores militiae obeundos creditas esse. Quodsi Xenophon dixerit (III. 1. 25)

---

[1]) An. III. 1. 25. V. 3. 1.
[2]) Delbr. p. 50.

εἰ δ' ὑμεῖς τάττετε ἐμὲ ἡγεῖσθαι οὐδὲ προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἐμαυτοῦ τὰ κακά illum ita dicere non potuisse, nisi eo tempore (i. e. anno 401) prope ad annum quinquagesimum pervenerit; Xenophontem igitur eo tempore, quo proelio Deliensi interfuerit tres et viginti annos natum fuisse neque id a Luciani testimonio discrepare, quum nulla res a Xenophonte in Hellenicis commemorata annum 357 excedat.

Sed Delbrueckii interpretationem horum locorum falsam esse quis est, quem fugiat. Inepte verba *ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι* ita interpretatus est, quasi Xenophon *ἀλλ' ἔτι ἀκμάζειν ἡγοῦμαι* scripserit, ut de re iam praeterita dixerit.

Omnino neglegenter de anno natali Xenophontis disseruit, nam et ceteros locos praetermisit, qui ex Anabasi colligendi erant, et finem militiae apud veteres usitatum ignorare videtur; quum apud omnes fere Graeciae civitates usque ad sexagesimum annum aetatis cives militiae sacramento obstrictos fuisse exemplis confirmare longum sit, neque quemquam adduci posse credo, ut cum Delbrueckio consentiat, milites annum aetatis quadragesimum egressos non iam satis idoneos esse ad labores militiae obeundos. Id quidem constat milites plus annos quadraginta natos in naves impositos esse, primum ut reliquis praesidio essent, tum quod Xenophon de impetu hostium securus cum minima parte exercitus iter facere voluit, ut re frumentaria expeditiore uteretur. Sed iam diutius in opinione Delbrueckii refutanda versatus sum; ad alia graviora transeam atque de locis Anabaseos disseram, qui ad aetatem Xenophontis pertinent.

Anab. II. 1. 12.

Cyro interfecto legati[1] veniunt ab Artaxerxe ad castra Graecorum missi cum Phalino Graeco, qui interpretis munere

[1]) Ctesias se quoque in legatorum numero fuisse dicit, idque Grotius contra auctoritatem Xenophontis unum Graecum inter legatos fuisse dicentis probat, quum numerum a Xenophonte traditum minus subtiliter ad calculum vocari velit; quae Grotii sententia probari non potest. Ac primum quidem Ctesiam, qui officio medici regii fungebatur, a rege vulnerato discedere potuisse veri simile non videtur; tum Ctesiae plurimum interfuisse perspicitur, ut se ad castra Graecorum venisse diceret; nam quum in pugna ipsa inter comites Artaxerxis regis fuisset, neminem Graecorum in cornu dextro contra copias Tissaphernis collocatorum vidit praeter duces captos et Babylonem adductos, nisi forte cum ceteris legatis castra Graecorum intravit. At Xenophontis

fungebatur, armaque Artaxerxi regi tradi iubent; Clearchus ad hostias inspiciendas avocatus a ceteris ducibus petit, ut Phalino respondeant, quorum alii — in his Proxenus, Cleanor, Theopompus — fortiter, quae Phalinus postulaverat, reiciunt, alii minus constanter respondent. Phalinus ad ea, quae Theopompus dixerat, respondens eum adulescentulum (*νεανίσκον*) appellat. Sed quum nonnulli codices[1]) Theopompi, ceteri Xenophontis nomen praebeant, sunt, qui hunc locum et vocabulum *νεανίσκον* ad Xenophontem pertinere dicant; alii tamen negant.

Ii, qui Xenophontis nomen hoc loco delendum esse iudicant, tribus potissimum argumentis nituntur: primum in optimis codicibus Theopompum legi; tum duces ad colloquium vocatos esse, Xenophontem ne militem quidem illo tempore fuisse; denique Xenophontem, ubi de sententia ducum narraverit, verbis *ἄλλους δέ τινας ἔφασαν* fidem alienam antestari. Quae argumenta Schwepfingerus,[2]) qui de hoc loco Anabaseos diligentissime disseruit, refutare studet.

Mirum esse dicit, cur non iam antea viri docti illam, quam Dindorfius et Schneiderus receperint, lectionem ex collatis codicibus notam probarint; neque codicum numerum constare, quibus haec lectio commendetur.

Alterum quoque argumentum, quod allatum est, infirmum esse cum Schwepfingero sentio. Xenophontem a Proxeno invitatum, ut in amicitiam Cyri reciperetur, etiam cum amico ceteros duces Graecorum adiisse eorumque conventibus interfuisse compluribus Anabaseos locis confirmari videtur.

Clearcho[3]) dolo ac fraude Tissaphernis circumvento quum Ariaeus, Artaozus, Mithridates ad castra Graecorum reliquos duces provocaturi adequitassent et Cleanor Orchomenius et Sophaenetus Stymphalius praesidio cincti prodiissent, Xenophon quidem cum ducibus progressus, postquam Cleanor locutus est, ipse Persas alloqui non dubitat. Sed licet Xenophon saepius conciliis ducum

---

minimi interesset nomen Ctesiae, quem in Anabasi bis nominavit, hoc loco praetermittere. Equidem controversiam pro Xenophonte componendam esse puto, quum Ctesiam, si in numero legatorum fuisset, Phalino longe superiorem dignitate, ipsum fuisse principem legationis manifestum videatur.

[1]) cod. A. B. C. D. E.

[2]) De Anabaseos II. 1. 12. quaestio Eisenberg. 1844.

[3]) Anab. II. 5. 37.

interfuerit, hac re etiam illi conventui, de quo agitur, Xenophontem interfuisse non demonstratur; sed eum tum afuisse docent verba ἄλλους δέ τινας ἔφασαν, quae et alia eiusmodi Xenophon adiicere solet in iis rebus enarrandis, quibus non ipse interfuit, quasque ex sermonibus hominum illis ipsis diebus accepit. Neque argutiorem Kruegeri sententiam probo, qui hunc locum in iis numerat, ex quibus pateat Xenophontem se Anabaseos auctorem callidissime dissimulasse, neque Schwepfingerum laudo, qui verba ἄλλους δέ τινας ἔφασάν λέγειν ὑπομαλακιζομένους interpretatur: erant inter eos, qui consilio interfuerant, qui dicerent, alios ita cum Phalino esse locutos, ut ignaviae speciem admitterent. Unum opinioni Schwepfingeri favere videtur, quod Theopompus nusquam alio loco Anabaseos nominatus sit. Neque in praetorum numero fuit, quum nemo Atheniensium in Cyri gratiam copias contraxerit; at quin ille inter centuriones esse potuerit, dubium non est, nam alios Athenienses in exercitu Graecorum munere centurionum functos esse constat. Xenophon ipse hos Athenienses nominat: Lycium[1]) ducem equitum, Cephisidorum et Amphicratem,[2]) Polycratem,[3]) Aristonem,[4]) Gnesippum.[5])

Quum autem ad centum praetores et centuriones convenisse dicantur,[6]) ex quorum numero per totam Anabasin tantum ad quadraginta nominatim appellantur, non iam mirum est, quod tantum semel Theopompi mentio facta sit.

Neque merito eum locum,[7]) quo de iuvene quodam provido et sagaci narratur, Schwepfingerus cum Zeunio ad Xenophontem refert. Primum Xenophontem modestia commotum nomen suum reticuisse nego; quum absurdum videatur, illum uno loco nomen suum professum non esse, quod ceteris Anabaseos locis semper professus est. Tum a Schwepfingero dissentio, qui dicit ex illa brevi iuvenis oratione simplicitatem et circumspicientiam Xenophontis, quam ubique et semper probaverit, intellegi; certe Xenophon, postquam inventorem consilii sibi ignotum laudavit, consilium eius iisdem verbis referre non dubitavit, quibus explicuisset, si res a se ipso excogitata esset.

Jam satis demonstravi, Xenophontis nomen duobus illis locis, quos modo dixi, delendum esse atque etiamsi recipiendum sit,

---

[1]) An. III, 3. 20; [2]) IV, 2. 13; [3]) IV, 5. 24; [4]) V, 6. 14; [5]) VII, 3. 18;
[6]) III, 1. 33; [7]) II, 4. 19.

controversiam de Xenophontis aetate his locis dirimi posse nego; nam Memorabilibus,[1]) ubi Critias et Charicles Socratem cum iuvenibus, qui nondum ad annum aetatis tricesimum pervenerint, colloqui vetant, extremus νεότητος terminus constitutus non est, sed vocabulum νέος[2]) etiam de viris plus quadraginta annos natis dicitur, quod iam Kruegerus[3]) et Redantzius,[4]) qui diligentissime locos ad hanc rem illustrandam contulit, docuerunt. Eadem ratione locus Pseudoxenophontis[5]) expeditur: Ἀγησίλαος τοίνυν μὲν ἔτι νέος ὢν ἔτυχε τῆς βασιλείας, quem Grotius se intellegere negat, quum Agesilaus eo tempore, quo fratri in regnum successerit plus annos quadraginta natus fuerit.

Scriptorem verba ἔτι νέος ὢν addidisse Hell. III. 3. 1. commotum, ubi Agis, Agesilai frater, ἤδη γέρων ὢν diem supremum obiisse dicitur, satis perspicuum videtur.

Atque de hac re satis dictum sit; accedam ad ceteros locos Anabaseos, quibus de Xenophontis nomine non ambigitur.

An. III. 1. 14. ἐγὼ οὖν τὸν ἐκ ποίας πόλεως στρατηγὸν προσδοκῶ ταῦτα πράξειν; ποίαν δ' ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἀναμένω; οὐ γὰρ ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι, ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις et paulo post III. 1. 25 Xenophon de aetate sua dicit: εἰ δ' ὑμεῖς τάττετε ἐμὲ ἡγεῖσθαι οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι etc.

Hoc loco verbum ἡλικία nihil aliud significare nisi aetatem iuvenilem verba οὐ γὰρ ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι docent. Xenophon primum arbitratus est se nondum ad eam aetatem pervenisse, qua exercitui praeesse sibi liceret; sed re diligenter perpensa in summo rerum discrimine sibi aetatem iuvenilem respiciendam non esse existimat. Neque dubito cum Cobeto consentire, haec esse verba iuvenis aetati suae diffidentis, neque Vaterum alterum locum hoc modo interpretantem aspernor: „si pravo iuventutis metu hodie deterreor, quominus omnes vires ad servandos sodales intendam, numquam evadam maior.“ At Kruegerum subtilius sentientem non aetati suae Xenophontem, sed auctoritati rei suscipiendae diffisum arrogantiae speciem cum modestia miscere, neque quem-

[1]) I, 2. 33.
[2]) sed ὦ νεανίσκε sic aegre invenias.
[3]) Stud. hist. et phil. II. 268.
[4]) Vitt. Iphicr. Chabr. Timoth. Berol. 1845.
[5]) Ages. I. 6.

quam praeter unum Cobetum adduci posse, ut credat, ad iuvenem duodetriginta annos natum nec bellica virtute spectatum in summo rerum discrimine munus imperatoris delatum esse, quod bene dixerit, sequi non possum.

Neque uni Xenophonti salus Graecorum credita erat, quum etiam alii duces exercitui praeessent, neque dubitari potest, quin Xenophon, Proxeni amicus, iam antea apud milites eius satis magna auctoritate fuerit et in itinere saepius peritum rei militaris se praebuerit; quam ob rem militibus sperare licuit, Xenophontem in locum Proxeni suffectum eadem prudentia, qua proposuisset, consilia sua effecturum esse.

Sed Letronnius ratus, ex hoc loco tantum intellegi posse etiam alios duces maiores natu in exercitu fuisse in locum ducum a Tissapherne circumventorum sufficiendos inepte auctoritatem huius loci delere conatus est, quum non aetas maior, sed animi militum in ducibus novis creandis valuerint, quod ex Anabasi demonstrare longum est.

Equidem duobus his locis adducor, ut credam Xenophontem a. 401 nondum ad aetatem virilem pervenisse; alii tamen minus valent, quamquam iuventuti Xenophontis non adversantur.

An. III. 2. 37. Timasion Dardanius, qui in Clearchi locum suffectus est, et Xenophon minimi natu inter duces nominantur; Timasionem autem illo tempore plus triginta annos natum fuisse ex Anabasi [1]) patet, quum iam Clearcho et Dercyllida ducibus stipendia fecerit, quem primum a. 411 in Asiam missum esse Thucydides [2]) tradidit.

Ex An. III. 4. 42. Xenophontem Chirisopho iuniorem fuisse cognoscitur, quem ipsum tamen natu maximum inter duces non fuisse, sed Philesium et Sophaenetum constat. [3])

Xenophonti, quum castra Cyri sequeretur, nondum liberos fuisse An. VII. 6. 34 docet. Neque haec res neque aliae ex Anabasi pro iuvenili aetate Xenophontis allatae ullius fere momenti sunt.

An. V. 3. 1., de quo loco iam supra dixi, Xenophon narrat, eos, qui plus quadraginta annos nati fuerint, in naves impositos

1) V. 6. 24.
2) lib VIII. 61 sq.
3) An. V. 3. 1.

esse, ceteros iter pedibus continuasse. Inde commoti nonnulli dixerunt, Xenophontem ad quadragesimum annum aetatis nondum pervenisse hoc loco demonstrari, quia cum iis profectus esset, qui pedibus iter fecissent; quod praeceptum tantum aetatem militum non ducum spectare manifestum est.

Neque ducis aetas ex illorum aetate, quibus praeest, cognosci potest; quam ob causam verba An. VII. 3. 46, ex quibus patet Xenophontem militibus, qui usque ad triginta annos nati essent, praefuisse nihil valent.

At locis III. 1. 14 et III. 1. 25 quibus maxime freti suspicati sunt, Xenophontem a. 401 nondum ad virilem aetatem pervenisse, duo Anabaseos loci adversari videntur An. VII. 6. 38. *ἀλλὰ καὶ πατέρα ἐμὲ ἐκαλεῖτε καὶ ἀεὶ ὡς εὐεργέτου μεμνήσεσθαι ὑπισχνεῖσθε.* Haec verba tricenario convenire negavit Kruegerus, sed alio loco Xenophontem saepissime in orationibus ita verba fecisse, ut illo ipso tempore, quo Anabasin scripsisset dicturus fuisset, recte admonuit eamque sententiam amplecti non dubito; itaque hoc quidem non multum valet, gravius tamen relinquitur. An. VII. 2. 38. Seuthes se Xenophonti filiam in matrimonium daturum et Xenophontis filiam, si qua sit, ipsum ducturum pollicetur. Hinc putaverunt specie virili Xenophontis Seuthen adductum esse, ut illum iam filiam nubilem suscepisse crederet. Contra hanc opinionem Vaterus multa argumenta attulit; primum Xenophontem ea specie esse potuisse, ut Seuthes de aetate eius in errorem induceretur; tum hoc loco de filia iam nubili non agi idque viros doctos interpretatione sua supposuisse sed de filia aut posteriore tempore ducenda aut illo ipso tempore quamquam nondum ad aetatem nubilem pervenisset; nam multis exemplis comprobari, etiam puellas natu minores in matrimonio collocatas esse; denique Xenophontem triginta annos natum iam filiam decem fere annorum suscipere potuisse. Etsi haec probabilia esse fateor, tamen rem ita sese habuisse necesse non est; sed aliis causis adducor, ut id, quod Vaterus demonstrare studuit, verisimile esse putem. Ex iis, quae de Seuthe a Xenophonte et a Diodoro tradita sunt, quamquam non sunt eiusmodi, ut nullum dubium relinquatur, conici posse puto Seuthen ipsum, quo tempore cum Xenophonte de filia collocanda egerit, ea aetate fuisse, ut filia maxima ad aetatem nubilem nondum pervenerit. Ex eo loco, quem modi dixi, et ex VII. 3. 27. Seuthen uxore ducta

filiam iam suscepisse apparet. Accuratius ipse VII. 2. 3. de suis rebus dicit, se post mortem Maesadae patris regno expulsi apud Medocum educatum et quum adoleverit, copiis eius adiutum ad regnum patris recuperandum profectum esse. Quo quidem tempore Seuthes a Medoco profectus sit, plane definiri non potest; sed Seuthen iam ante annum 405 hostibus partem regni paterni eripuisse conicere licet, quod Alcibiades, quum ante pugnam navalem ad Aegospotamos factam ad Atheniensium classem ibi collocatam venisset, Medocum et Seuthen reges Thraciae sibi amicitia coniunctos nominat.[1])

Equidem hoc Diodori loco fretus Seuthen aliquot annis ante annum 405 a Medoco discessisse conicio atque si illo ipso tempore, quo discessit, aut paulo ante uxorem duxit, filiae eius tum, quum Xenophontis amicitiam peteret nondum ad aetatem nubilem pervenerant, atque hac causa motus de filia posteriore tempore ducenda cum Vatero consentio.

Restat, ut de reliquis disseram, quae ostendere videntur, Xenophontem, quum Cyrum sequeretur, admodum iuvenem fuisse.

Praeter ea, quae Cobetus de Anab. III. 1. 14 et III. 1. 25 disseruit, sex aliis causis opinionem suam de Xenophontis aetate comprobare studet, quae quidem ex parte ab aliis allatae ab aliis refutatae sunt.

Primum ex Anabasi ardorem Xenophontis iuveniliter effervescentis elucere; quem ex Anabasi intelligi posse etiamsi Cobeto concedimus, tamen hoc argumento aetatem Xenophontis definire, absurdum videtur. Neque magis firmum videtur, quod Cobetus suspicatur Xenophontem Proxeno aequalem fuisse; id nulla alia causa comprobari potest, nisi quod hospitio cum Proxeno coniunctus sit. Neque Aeliano,[2]) qui Xenophontem Proxeni praeceptorem fuisse tradidit, multum confido, quum tales res ad aetatem alicuius definiendam nihil valere manifestum sit. Nonne Cicero[3]) Agesilaum a Xenophonte institutum esse dicit? quamquam Xenophon, etiamsi rationem vulgarem tenemus, tantum aequalis fere Agesilao censendus est.

Etiam ex An. VI. 4. 25. Cobetus suspicatus est iuvenilem aetatem Xenophontis prodi: *ὁ Ξενοφῶν ἐβοήθει καὶ οἱ ἄλλοι οἱ*

---

[1]) Diod. VIII. 105.

[2]) Var. hist. XII. 25.

[3]) de orat. III. 35.

μέχρι τριάκοντα ἐτῶν ἅπαντες. Jmmerito Kruegerus lectionem πεντήκοντα, quam pars codicum praebet, servare studuit, sed haec verba ad aetatem Xenophontis definiendam nullius momenti sunt; nam nihil aliud significant, nisi Xenophontem cum iis militibus, qui usque ad triginta annos nati fuerint, auxilio venisse.

At graviora videntur argumenta, quae sequuntur. Quo pacto Xenophon Socratem eluserit iubentem consuli deum, utrum ad Cyrum proficiscendum an domi remanendum sit, documento esse Xenophontem illo tempore virilem aetatem nondum attigisse; Kruegeri enim sententiam hac calliditate aetatem maturiorem Xenophontis prodi minus probandam esse puto.

Denique ridiculum esse Cobetus dicit, si quis suspicetur, Xenophontem annos quadraginta tres natum sine imperio ac paene privatum Cyri castra et fortunam secutum esse. Id quidem recte docuit Kruegerus Xenophontem neque parti exercitus Graeci praefici potuisse, quum ipse in usum Cyri copias non contraxisset, neque parti exercitus barbarorum praeesse linguae Persicae ignarum; ea autem, quae Cobetus obiter adiunxit, „sine imperio ac paene privatum" recte Kruegerus exposuit, quomodo factum esset, sed ea verba, quae gravissima sunt, Xenophontem tres et quadraginta annos natum non fuisse secuturum Cyri castra silentio plane praetermisit neque refellere potuit.

Id quoque mirum videtur, Diogenem Laertium, quamquam auctores multos hodie deperditos de Xenophonte consuluerit, de rebus ante Cyri expeditionem ab illo gestis nihil nisi pugnam Deliensem, de qua iam supra dictum est, et familiaritatem cum Socrate factam rettulisse.

Satis demonstrasse mihi videor et ea, quae Strabo et Diogenes de pugna Deliensi et de salute Socrati a Xenophonte debita narraverint, falsa esse neque in Xenophontis Anabasi ulla argumenta extare, quibus commovear, ut annus natalis Xenophontis ad annum 444 proferatur; neque ex eodem libro Xenophonti certum annum, quo natus sit, eligendum esse, quum loci plurimi Anabaseos ad hoc efficiendum nullius aut minimi momenti sint; tamen pro certo habeo ex Anab. III. 1. 14. et III. 1. 25. aetatem iuvenilem Xenophontis satis perspici.

Haec de Xenophontis aetate ex Anabasi intellegi videntur, sed in aetate Xenophontis definienda neglegendum non esse illum librum, qui „Symposion" inscribitur, iam Schneiderus intellexit

atque Nitschius demonstrare studuit, patere ex illo libro Xenophontem natum esse inter annum 442 et 436.

Xenophontem, quum ipse in convivio a Callia in Autolyci honorem, qui pancratio vicerat, celebrato se adfuisse fateatur, illo tempore iam adolescentulum et cum Socrate consuetudine coniunctum fuisse necesse est. Itaque tempus, quo illud convivium celebratum sit, eruendum est. Quae quidem res Vatero[1] geri visa est Olymp. 93. 3. anno 405, Kruegero[2]) et Hermanno[3]) Ol. 89. 3. i. e. anno 422. a. d. IV. Non. Aug., quo die Panathenaea celebrata sunt. Illo tempore Critobulus nuperrime uxorem duxerat et Clinias adolescentulus, quem in deliciis habebat, si Cobeto *'Αξιόχου* pro *'Αλκιβίαδου* conicienti assentiaris, idem est, qui a Platone[4]) Axiochi filius vocatur, eumque paulo iuniorem fuisse Critobulo ex eodem Phatonis libro[5]) patet. Sequitur, quum eos[6]) primam barbam aluisse perspicuum sit, Critobulum illo tempore quo convivium a Callia celebratum sit, viginti fere annos natum fuisse.

Euthydemus, qui Memorabilium libri 4. 2. 3. nondum annum vicesimum agere videtur a Platone commemoratur in convivio, quod in honorem Agathonis poetae tragici victoris anno 417 afectum esse Athenaeus[7]) docet; itaque Euthydemum circa anno 435 natum esse atque Xenophontem, quum paulo maior videatur Euthydemo et paulo minor Critobulo circa annum 440 natum esse probabile est. Haec fere Nitschius de aetate Xenophontis disseruit; sed quamquam annum 440 maxime probandum esse censet, tamen ei, cui coniectura Cobeti minus placeat, annum natalem Xenophontis inter annum 442 et annum 436 inserendum esse fatetur.

Jam quum quaestionis de anno natali Xenophontis finem faciam, id quidem in ea re effecisse arbitror ut demonstraverim, Kruegerum in eligendo anno 444 nullis argumentis ductum esse, atque ea,

---

[1]) De scena convivii Xenophontei disquisitio Ann. phil. et paed. IX. 49. sq.

[2]) II. 287--293.

[3]) Ind. lect. Gotting. 1844 45.

[4]) Euthyd. p. 275 a.

[5]) id. p. 241 b.

[6]) Symp. 4. 23. 28.

[7]) Athen. V. p. 217.

quae, Strabo et Diogenis de pugna Deliensi tradiderint non consentire cum iis, quae ex Anabasi de aetate Xenophontis intelligi possint. Fortasse quispiam miretur me prorsus illum librum neglexisse, qui *πόροι* inscribitur; sed antequam de tempore, quo liber editus sit, disputari poterit, accuratius perscrutandum esse censeo, num hic liber Xenophontis sit, quae res adhuc nondum confecta, sed maxime dubia videtur; quamquam fateor eos parum diligentes fuisse, qui illum librum Xenophontis non esse, quod ab aetate eius abhorreat, contenderunt; itaque hoc loco de sententiis maxime diversis, quo tempore ille liber scriptus sit, disputare omittam; sed hoc unum addere mihi liceat ea, quae Holzapfelius[1]) de hoc libro disputaverit, docere et annum Xenophontis natalem a Kruegero constitutum et narrationes Strabonis et Diogenis valde suspectas esse.

De patria eius satis constat; ipse se Atheniensem nominat, accuratius de ea re Diogenes Laertius eum Erchieum ex tribu Aegeide fuisse refert.

Patri, nusquam in Xenophontis libris nominato nomen Gryllo fuisse Strabo dicit; ex ea quoque re conicias, quod eodem nomine alter Xenophontis filius utebatur; de matre nihil constat. Neque dubium videtur, quin Xenophon loco nobili ortus in numero equitum Atheniensium fuerit. Maxime enim ille equis delectabatur; artis equitandi et muneris equitum peritissimus erat; officia praefecti equitum, omnia, quae ad equos pertinent, penitus pernoscebat; filii, quorum alter proelio equestri paucis diebus ante pugnam ad Mantineam factam interfectus est, in exercitu Atheniensium equis meruerunt. Falsa esse puto, quae Pausanias tradidit, hoc proelio Epaminondam a filio Xenophontis interfectum esse; nam verba, quae Diogenes[2]) additit *ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ καὶ Ἐπαμεινώνδας ἔπεσε* non ad proelium equestre, sed ad pugnam Mantineensem paulo post commissam pertinere patet.

Pausaniam vero errasse ex eo intelligitur, quod Epaminondas numquam equo meruit; tum, quod ex Hellenicis[3]) *τοὺς δ' ἱππέας ἔπεμψεν εἰς τὴν Μαντίνειαν δεηθεὶς αὐτῶν προσχαρτερῆσαι καὶ διδάσκων ὡς πάντα μὲν ἔξω εἶναι τὰ τῶν Μαντινέων βοσκήματα* etc. patet illum cum peditibus remansisse.

[1]) Philolog. vol. 41. pag. 242 sqq.
[2]) Vit. Xen. II. 54.
[3]) Hell. VII. 5. 14.

Pausanias ea, quae narrat[1]) Epaminondam equitatui Thebanorum praefuisse et eum a Gryllo, filio Xenophontis, interfectum esse, ex tabula Euphranoris in Ceramico posita, cuius exemplar etiam Mantineae fuisse tradit[2]) videtur coniecisse. Itaque aut Euphranor a veritate deflexit, aut, Pausanias pictura Euphranoris deceptus est; nam si Euphranor Gryllum pinxit praefectum equitum Thebanorum sua ipsius manu interficientem idque factum esse conicias ex Hellenicis[3]) *αὐτῶν δὲ* (sc. *'Αθηναίων*) *ἀπέθανον ἄνδρες ἀγαθοὶ καὶ ἀπέκτειναν δῆλον ὅτι τοιούτους* ille dux equitum ab interpretibus Atheniensibus cum Epaminonda facillime confundi potuit, ita ut clarissimum Thebanum a suo cive interfectum esse praedicarent. Unum, quod reliquum est, ut coniciamus Gryllum proelio equestri non occubuisse morte, sed pugna paucis diebus post eaque Epaminondam interfecisse discrepat ab Hellenicis[4]) unde patet, Athenienses cum ea parte exercitus Thebanorum, cui Epaminondas praeerat, non esse congressos.

Quam ob rem Delbrueckius[5]) male de hac re iudicat, quum dicat famam Epaminondae a Gryllo interfecti ea re confirmari, quod Grylli virtus summis laudibus elata et eius mors carminibus et picturis celebrata sit.

Utrum cum Proxeno Boeotio, quem *ξένον ἀρχαῖον* nominat[6]), ipse hospitium iunxerit an iam superiore tempore apud patrem Xenophontis et Proxeni patrem hospitium valuerit, incertum est. Philostratus[7]) quidem tradit, Xenophontem aliquod tempus in Boeotia captum fuisse idque factum esse anno 412, quo Boeotii Oropo castello in finibus Boeotiae et Atticae sito proditione potiti sint, Kruegerus suspicatur. Sed Philostrati narratio suspecta videtur neque Kruegeri coniectura placet. Primum non perspicitur, cur Xenophon illo anno Oropi versatus sit.

An tum munere *περιπόλου* fungebatur? Quae quidem res quum ab opinione eorum non abhorreat, qui Xenophontem circa annum 430 natum esse contendunt, a Kruegeri sententia discrepat

---

1) Paus. I, 3. 4. et IX. 15. 5.
2) VIII. 9. 8.
3) Hell. VII. 5. 17.
4) Hell. V. 5. 24.
5) p. 48.
6) Anab. III. 1. 4.
7) Philostr. *Βίοι φιλοσόφων.* I. 12.

Sed hoc ipsum concedatur, Xenophontem illo tempore Oropi versatum et captum esse, num Atheniensi captivo cum Boeotio nobili hospitium iungere licuerit, valde dubitandum est. Neque urgere volo, quod hospitium ante decennium fere factum ἀρχαῖον dicitur, quum Xenophon illo Anabaseos loco Homerum imitetur, quod iam prima verba Ἦν δέ τις carmen apud Homerum usitatissimum demonstrant, atque illa verba ξένος ἀρχαῖος sermonis Homerici admonent:

Ξεῖνοι δ' ἀλλήλων πατρώιοι εὐχόμεθ' εἶναι ἐξ ἀρχῆς etc.

Neque gravius videtur, quod Philostratus paulo post narravit, Xenophontem illo tempore Prodicum audivisse, quamquam ea, quae Philostratus narravit, confirmari videntur Memorabilibus[1]) ubi Xenophon Prodici fabulam de Hercule notissimam imitatus est.

Nam ea, quae Prodicus docuit, maximam partem non dissentiunt ab iis, quae Socrates de vita ac moribus hominum disseruit, ut Socrates ipse adulescentulis disciplinam Prodici commendans saepe per iocum Prodici discipulum se nominet.

Neque dubium videtur, quin Philostratus sua coniectura explicuerit, quomodo factum sit, ut Xenophon illo tempore, quo utraque civitas summo odio mutuo flagrabat cum Boeotio hospitium iungeret et Prodicum audiret.

Mittamus exercitationes palaestrae, quibus Xenophon operam dedit, ut corpus labore assiduo corroboraret, mittamus summam naturae agilitatem, qua facile ea, quae ad res agendas maxime idonea erant, reperiebat, sed aggrediamur ad consuetudinem Xenophontis cum Socrate, cuius in familiaritatem, quomodo pervenerit, Diogenes lepidissime narrat.

Aiunt, eum Socrati quondam in angiportu obviam factum et baculo praetento progredi prohibitum et interrogatum esse, ubi res usui hominum necessariae venirent. Tum ex adulescentulo quum respondisset, Socratem quaesivisse, ubi viri boni et honesti fierent, et haesitantem, quid diceret, admonuisse, ut sequeretur et disceret.

De hac narratione, num vera sit, Beckerus dubitat, sed quum a Socratis more sermonis cum aliquo incipiendi minime abhorreat et verbum φασὶν omnium consensum indicare videatur, non est, cur Diogeni hoc loco fidem denegemus.

---

[1]) II. 1. 22. sq.

Hoc modo in amicitiam Socratis receptus accuratissime ad ea, quae vir sapientissimus de vita et moribus hominum praecipiebat, totam vitam conformare studebat.

Ea, quae a Socrate acceperat, scriptis suis, quae *Ἀπομνημονεύματα* vocantur, memoriae mandavit; sed quum a quaestione proposita alienum sit, accuratius inquirere supersedeo, qualem Xenophon Socratem atque disciplinam eius finxerit. Id quidem tenendum esse censeo Xenophontem quum his libris Socratem defendere et praecipue demonstrare studuerit, summam laudem Socrati attribuendam esse, quod sermonibus suis adolescentulos ad honestatem excitare voluerit, in moribus Socratis describendis multa omisisse, quae adversarii in eo merito vituperaverint, neque omnia exposuisse, quae Socrates de sapientia disseruerit.

Sed Koechlyus censor Socratis nimis acer exstitit, qui oratione de Socrate a. d. III. Cal. Dec. 1855 habita[1]) dixit, pessimos amicos Socratis rem publicam Atheniensium perdidisse, optimos nihil profuisse et in Socratem acerbissime invectus est, quia Xenophontem interrogantem, utrum ad Cyrum sibi proficiscendum sit necne, dehortatus non sit, ne id faceret. Neque Theramenis proditionem neque dominationem Critiae Socrati vitio vertere possumus; de iis, quae ad Xenophontem pertinent et quae ipsi crimini dedit, quod Alcibiadem non imitatus sit et timidissime se egerit, quum patriae liberandae facultas data esset, accuratius alio loco disseram.

Ut longum temporis spatium expleatur, quod annum natalem Xenophontis et annum 401 intercedit, de quo nihil satis certi constat praeter ea, de quibus iam dixi, Letronnius ad levissimas coniecturas confugit, quarum duas refutare satis sit. Primum Letronnius coniecit convivium a Xenophonte scriptum esse anno 420, quod falsum esse statim patebit. Neque vero controversiam saepissime ortam renovare in animo est, utrum Plato an Xenophon librum suum, qui „convivium" inscribitur, prior composuerit. Platonis quidem convivium paulo post annum 385 scriptum est, quo anno Lacedaemonii urbem Mantineensium in quattuor vicos dissolverant; hanc enim iniuriam novissimo tempore commissam esse verba docent, quae addit *καθάπερ Ἀρκάδες ὑπὸ Λακεδαιμονίων*· Itaque si verum sit, quod quidem testimonio Athenaei confirmatur, sed

[1]) Schol. acad. vol. I. p. 352,

minus placet, Xenophontem librum suum post Platonem scripsisse, Letronnii coniecturam omni ratione carere manifestum est. At si posuerimus Xenophontem Convivium ante Platonem composuisse id ante annum 392 nullo modo fieri potuisse Schenklius acutissime demonstravit, nam et Oeconomicum et Symposium partes Memorabilium esse, quae post annum 392 a Xenophonte scripta sint. Athenienses quidem Socratem ab Anyto, Meleto, Lycone accusatum anno 399 capitis damnaverant. Posteriore tempore Polycrates quidam accusationem Socratis composuit, quam post annum 394 scriptam esse patet; nam illo libro moenia Athenarum anno 394 a Conone restituta commemorata sunt[1]) atque omnes praeter Breitenbachium consentiunt accusatorem in Memorabilibus a Xenophonte commemoratum non esse Meletum, sed Polycratem; nam Xenophontem, quem causam Socratis non accurate cognovisse patet *τοὺς γραψαμένους καὶ τὸν κατήγορον* discernere et illud ad Anytum, Meletum, Lyconem, hoc ad Polycratem pertinere; itaque Xenophontis Memorabilia post annum 392 edita esse.

Neque illud gravius est, quod Letronnius de Xenophonte inter annum 406 et 401 in Siciliam profecto et apud Dionysium morato suspicatus est.

Qua in re Letronnius testimonio Athenaei[2]) nititur, qui dictum Xenophontis Grylli filii apud Dionysium morantis affert. Illud recte Letronnius negat, quod alii posuerunt, Xenophontem post expeditionem Cyri iter in Siciliam suscepisse, sed omnino Xenophontem in Siciliam profectum esse nego. Nam ante bellum finitum Peloponnesiacum ad Dionysium, qui Lacedaemonios contra Athenienses adiuverat, proficisci non licuit, neque post bellum finitum, quamdiu dominatio tyrannorum triginta valebat, est, cur credamus eum patriam reliquisse. Sed Xenophontem dominatione Critiae et sociorum eius, a quorum partibus Xenophontem stetisse veri simile est, exstincta in Siciliam profectum esse temporum ratio vetat, quum paulo post a Proxeno invitatus Sardes profectus sit.

Etiam ex duobus primis libris Hellenicorum intelligi posse credo, Xenophontem patriam suam, antequam Cyrum secutus sit, non reliquisse; nam de Alcibiade redeunte[3]), de contionibus

[1]) Phavorini Memorab. lib. I.
[2]) lib. X. p. 427. 28.
[3]) I. 4. 18.

tumultuosis[1]), quum causa imperatorum ageretur accusatorum, quod post victoriam ad Arginusas insulas reportatam corpora naufragiis exanimata non servassent, de lamentatione populi nuntio cladis ad Aegospotamos Athenas allato[2]), de populo circumfuso Theramenem condiciones pacis enuntiantem, de Athenis a Lysandro obsidione cinctis et captis, de sceleribus triginta tyrannorum, de Theramene condemnato ita rettulit, ut verba eius testem oculatum prodere videantur.

Letronnius Athenaei testimonio commotus in eundem errorem videtur incidisse, in quem Diogenes alio loco incidit, quum Xenophonti tribuat, quae nepoti Xenophontis tribuenda sunt. Diogenes enim Dinarchi orationem *περὶ ἀποστασίου πρὸς Ξενοφῶντα* ad Xenophontem maiorem pertinere credidit, quod ratione temporis, quo illa oratio haberi potuit, habita falsum esse nemo negabit.

Nam quum Dinarchus Dionysio Halicarnassensi auctore anno 361 natus sit, contra Xenophontem, familiarem Socratis, illam orationem habere non potuit, qui supra annum 356 vitam prorogasse non videtur; itaque si eis, quae Athenaeus tradidit, fides habenda sit, ad Xenophontem, filium eius Grylli, qui proelio equestri ad Mantineam commisso interfectus est, ea referre non dubito. Sed quaestionis de particula vitae Xenophontis hoc loco finem faciam: quum alio loco, ea quae ad Xenophontis reliquam vitam pertinent, tractare mihi in animo sit.

---

1) I. 7. 12. sq.
2) II. 2. 3.